



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

López, Luys

Lvgdvni, 1588

Vtrùm ratione pœnæ mutuantis, vel vendenti ad creditum pro dilatione
liceat aliquid exigere & quid si casu fortuito non potuit soluere, an
teneatur mutuarius ad pœnam vel interesse, & de quibusdam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41259

tionem, & ideo est estimabilis pretio, quia per eam renuntiat mutuator suæ libertati non mutuandi, quia poterat ante istam obligationem non mutuare. ¶ At verò periculum recuperandi debitum nihil valet, tum quia aliquid est, iam tollitur quando capitale postea soluitur ad quod perdendum mutuans non se astrinxit. Tū quia illud periculum potest cautione fidelis fideiussoris tolli & tandem potissima ratio & differentia est, quia istud periculum de per se sequitur ad mutationem, & ad redemptionem ad creditum tanquam quid accessorium induens naturam principalis, quare nec istud periculum neque obligatio subeundi illud, postquam intenditur nihil omittet de recuperatione mutui est estimabile pretio, sicut neque ipsa mutuatō: quæ est quid principale ad quod accessorie sequitur.

¶ Secundò arguitur lucrum cessans consequitur ad mutuum, Vt patet, quia ex eo quod mutuator mutuat, consequitur vt effectus ad causam, quod cessat lucrari, tamen nihilominus mutuans pro lucro cessante potest aliquid ultra sortem exigere, ergo etiam pro isto periculo licet consequatur ad mutuum, nihilominus potest mutuans aliquid exigere.

¶ Licet argumentum istud videatur tantillum premere, sed in promptu est eius plana solutio, quia non est eadem ratio, quia illud periculum omninò accessorium & consequens est ad mutuum quia per mutationem causatum est. At verò illud lucrum cessans, licet non erat actus ante mutationem, erat tamē in potentia, quia ante mutationem mutuator paratus erat, & in potentia ad lucrandum si non mutuaasset.

¶ *Virum ratione pœne mutuanti, vel vendenti ad creditum pro dilatione liceat aliquid exigere & quid si casu fortuito non potuit solvere, an teneatur mutuatarius ad pœnam vel interesse, & de quibusdam casibus positus à Corduba.*

C A P. LXXI.

Subsequenter expostulat series materiæ quærere, vtrum ratione pœnæ mutuanti vel vendenti ad creditum aliquid exigere lege diuina, vel humana sit licitum ac permittitum. Est dictum an sic liceat mutuatori cōuenire, en tibi. 100. mutuo

mutuo ad diem natalis domini sub pœna soluendi. 10. vltra. 100. si ad diem præfixum non solueris. Scotus, Syluester, ac Canonistæ aiunt hoc pactum pœnale licitum esse, tamen pro patientiori examinatione veritatis, præter ea quæ ex mente Nauarri ex cap. 17. num. 215. dicta sunt, nam diximus licere quidem sub hac pœna conuenire, & mutuari huius hinc rationes nouas adiicimus. Primò, quia nullus obligandus est cum suo dispendio alteri bene facere. Quare vt suo damno consulat: se seque indemnem seruet, potest hanc pœnam conuentionalem mutuando, seu vendendo ad creditum adiicere, dummodo eam non exigat ab sine culpa sua impotente soluere.

¶ Dicimus ergo vltra, primò quòd corollariè ex prædictis sequitur quòd mutuans pecunias vsque ad nundinas Maij que si tunc sibi solueretur expositurus erat eas mercibus, ex quibus lucrum relaturus sibi erat poterit pœnã conuentionalem apponere, vt si debitor fuerit in mora lacrum cessans soluat sibi & sic de similibus patet, quia licet sic se seruare indemnem.

¶ Secundò superaddimus quòd quãuis, quia sic interest republicæ vt pacta seruentur, & delicta quamuis leuia castigentur, licitum sit ad coercendã debitoris negligentia, has cõuentionales apponere pœnas: tamẽ pœna conuentionalis in fraudẽ vsurarũ posita iniuste exigitur. ¶ Sed quia seiscitabitur forte quispiã quòd verò in fraudẽ vsurarum huiusmodi conuentionales pœnæ præsumetur positæ. Ad hoc dicimus tertio quòd tunc talis erit præsumptio in foro exteriori quando creditor ante scenerari cõsueuit quamuis in foro interiori: in hoc casu stabitur eius confessioni & veritati quia ibi cessat præsumptio secundum Nauar. Secundò tunc talis pœna apponitur in fraudẽ vsurarum quando maluit mutuator, vel venditor ad creditum, debitorem pœnam statutam incurrere, quam debitum termino signato soluisse. ¶ Tertio etiam quãdo pœna est grauis vt si inter seratur in cõtractu sic, si præfixo tẽpote non solueris principale quòd tibi sub ista pœna mutuo, singulis diebus ex tunc ad soluendam tantam pecuniam manebis obnoxius. Pate: quia in his casibus, & similibus vsura immiscetur palliata, quia licet testificetur se accipere ratione pœnæ, sed te vera accipit, & exigit ratione

P. 1.

ratione mutui. ¶ Similiter secundum Victoriam: quando mutuans sub tali pœna mutuat sciens certò lites furum culpam non euadit, quia videtur non sincerè ambulare, sed lites amare.

¶ Tertio adijcimus licet frater Iosephus in suis articulis verè doceat quod si talis pœna est apposta in conscientia non est debita ab eo, qui sine culpa sua non est in mora, quia vt diximus cum Nauarro nemo debet sine culpa propria pœnam subire, tamen non est tam certum quod adijcit, scilicet quod non teneatur resarcire dānum lucri cessantis, aut damni emergentis, qui sine culpa sua fuit in mora, quia fortuito casu perijt eius subtilitā, vel sine culpa sua sibi surrepta est: & idè præfixo tempore non soluit, vnde tale dānum emergens subortum est, quia secundum Metinam Complutensem vt prædictum supra, iste licet non teneatur soluere pœnam in hoc casu cum caruerit culpa: tamen si venerit ad pinguiorem fortunam, vbi possit tenebitur hoc interesse lucri cessantis, aut damni emergentis exsoluere, quando de eo factum conuentum, & admonitus de eo à principio, id est tempore mutuationis fuit mutuarius quia etiam sine culpa sua mutuator ex beneficio mutui præstiti non debet de grauari: vt suum interesse de quo cōuenit, & præmonuit mutuarium perdat sine spe recuperationis, si mutuarius ad pinguiorem fortunam peruenerit.

¶ Neque valet ratio fratris Iosephi in contra, scilicet quod mutuarius in isto casu fortuito nō fuit causa dāni, licet fuerit occasio, quia pari ratione probaret, quod neque in isto casu fortuito emptor ad creditum non teneretur exsoluere pretium principale, quia per ipsum non fuit data causa dāni, sed occasio per casum fortuitum contigit, quia satis est dederit ante causam dāno perperitionem mutui auertendo mutantem ab euitatione dāni, & à suo habendo lucro, sub hoc pacto acceptando mutuum. ¶ Vnde si dictum hoc fratris Iosephi aliquā veritatis habet est, quando à principio mutuationis de tali lucro, aut dāno emergente non est conuentum. Nam tunc etiam si non perijisset casu fortuito substantia mutuatarij, dum sic sine culpa esset in mora, quod non est factum conuentum lucrum cessans, aut dānum emergens solueret.

soluere non teneretur etiam si in hoc casu subsecuta fuissent.

¶ Quarto superaddimus quod licet nulla fuerit appositio pena in conscientia, tamen qui in mora est ex culpa sua, tenetur mutuatori, vel venditori ad creditum, ad damnum vel lucrum cessans resarciendum, quia licet formaliter non intenderit dare damnum, bene tamen interpretatur. Fuit ergo causa damni, iure ergo eum satisfacere oportet.

¶ Quinto quoque audacter asserimus quod nobiles & magnates abutentes redditibus suis prodigè, mercatoribus ideo ex culpa sua, vel negligentia prolatantes solutionem, nec soluentes in tempore debito, quia in culpa sunt damni, tenentur recompensare lucrum cessans, aut damnum emergens quod ex tali dilatione mercatores passi sunt.

¶ Verantamen quamvis hoc verum sit tamen frater Ioannes à Peña in quibusdam scriptis quæ nomine eius circulerunt dixisse fertur credere se interdum huiusmodi magnates & nobiles excusari ab isto lucro cessante mercatoribus creditoribus suis soluendo, cuius rationem asserit, quia inquit mercatores quando magnatibus vendunt ad creditum satis exploratum habent eos tempore statuto non soluturos esse. Qua de causa communiter caritas eis sunt soliti vendere ad creditum. Si tamen per multum temporis differrent tenerentur huiusmodi optimates, huiusmodi damna ex dilatione diuturna mercatoribus rependere: liquet autem hoc nam & contra voluntatem mercatorum tunc debitum detinet diutine, & cum iactura eorum.

¶ Interferendam esse hinc illam questionem operè preteritum duxi, cuius meminit Corduba, ² proponi casum quod mercatores grossi talis populi cum opulenti sint sua impensa, atque periculo ex nundinis cōportant magnam copiam pannorum dispersiendam inter minutiores mercatores, quibus minutum pluris reuenditur vendunt, ad respectum lucri vnum pro decem, & hoc siue credita, siue numerata pecunia vendant, hoc eodem precio eis vendunt, & sæpe semelque etiam contingit vt tenuiores mercatores nomine, & sumptibus, & periculo horum opulentiorum

Qō. 2.

a Corduba
in tract. de
casib. con-
scientiæ. q.
86.

lentiorum mercatorum adeant nundinas talem magnam copiam pannorum empruri, quibus sic emptis inveniunt similem contractum priori. Quæritur ergo an contractus hic sit licitus, an verò sit vsurarius ex parte opulentiorum mercatorum.

¶ Responderetur ergo quod contractus ex se illicitus non videtur dum æquiori pretio fiat, consideratis considerandis in arbitratione pretij: sed de facto planè iniquus contractus esse videtur. Videtur namque excessuum pretium esse vnum lucri pro decem vbi tam parum intercedit periculi, & laboris: vnde respublica grauari videtur, et illi minuti mercatores minutim eos pãnos: reuendendo, vt sibi satis parent lucri, vnde debitum pannorum prioribus soluant, & sibi etiam pro suo labori, de aliquo lucro consulant, solent cariori pretio, quo minutim vendunt respublicam grauare, quo inde duplex lucrum, & pro se, & pro primis mercatoribus corradant.

Q. 3. ¶ Minutiùs quoque dubium, & idem Corduba ^b citans sic proposuit, Petrus cum Ioanne sic conuenit vt tot pondera caseorum à pastoribus vndique coactis emeret hac lege, vt quingenta pondera caseorum & non minora numero emeret pro duodecim argenteis quolibet, adijciens quòd pro ponderibus singulis istiusmodi pro duodecim argenteis emptis quatuordecim argenteos persolueret Ioanni. Pro minori vero pretio duodecim argenteorum pretio emptis singulis ponderibus duos argenteos supra istud minus pretium erogaret atque sic gestum est negotium. Quæritur ergo res sit profus licita? nam videtur quod non possit subterfugere casus hic effigiem iniustitiæ, quia si Ioannes iusto pretio pro duodecim argenteis emit illa singula pondera quare immutatis rebus, & tempore & modo vendendi immutato, quod Ioannes emit pro duodecim venit Petro pro quatuordecim. Si autem iusto pretio vendit Petro Ioannes singula pondera pro quatuordecim argumentum est illa emisse Ioannem minoris iusto pretio quãdo emit illa pro duodecim tantum.

¶ Igitur resolutoriè dicitur ad casum respondendum perdit ntionem, scilicet, quòd dupliciter potuit ista esse iste contractus, primò vt Ioannes tanquã sollicitator Petri

^b Cordub.
in tract. de
casib. q. 87

& in nomine Petri, emeret prædicta caseorum pondera, & sic dum iusto pretio ea emerit pro duodecim argenteis quia non propter anticipatam solutionem minoris ea emit, nisi excedens sit sui laboris merces, pro cogenda tanta copia caseorum isti duo dicti argentei super erogati sibi à Petro pro singulis ponderibus, iuste potest accipere illos, accipiendo pro singulis. 14. Si autem in hoc casu Ioannes propter anticipatam solutionem singula pondera caseorum à pastoribus minoris iuste emit pastoribus referre habet, quia minoris emit, & non Petrus quando id non debuit suspicari de Ioanne, nec id ei suavit, salariūq; duorum argenteorum pro singulis ponderibus, si iustum sit arbitrio bonorum virorum & in hoc casu iuste reportare poterit Ioannes, quia pro suo labore sibi debetur, Si autem Ioannes non in nomine Petri neque ut solicitator Petri, sed nomine proprio emit prædicta pondera caseorum singula pro 12. argenteis, statimq; pro 14. vendit ea Petro vel alteri nullo adhibito labore custodiendi, cum etiam non suppetat vlla mutatio temporis, vel loci, neque formæ mercis vel aliter non esset iusta venditio, cum lucro statim part. 20. argenteorum pro singulis, ita Sylvestri, & secundum Doctores qui in hoc casu loquuntur, quando Ioannes non ut solicitator vel administrator Petri negotiatur, quod Corduba notatu necessarium censet pro alijs pluribus similibus casibus.

c Sylvest.
verbo, Em
ptio. q. 10.

¶ An ratione assecurationis mutuo liceat aliquid exigere, & an tradens pecuniam socio ad negotiandum possit pacisci ut salvo capitali aliquid lucri sibi reddatur.

C A P. LXXII.

¶ Quoniam omnes modos, quos negotiatores committunt possunt, quibus sibi in mutuacionibus, vel venditionibus ad creditum aliquid lucri expiscari posse autumant indagare nobis est cordi: ideo & de hac quaestione hic meminisse oportet vtrum ratione assecurationis mutui, vel pretij sperati liceat aliquid mutuatoribus vel venditoribus ad creditum exigere: & tandem quo magis innotescat id de quo quaeritur sic in particulari proponitur